

« Et ista, inquit, divino docendi modo, etiam ipsa voluntas et ipsa operatio, non sola volendi, et operandi possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit a Patre et didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed: Omnis, inquit, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia, qualem libet eam sentiat, qua ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur, venire autem jam in voluntate, et opere est. Sed omnis qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus et actionis effectus est. » Ubi manifestissime liquet, nec Pelagium sufficientem gratiam negasse, quia ipsum posse venire (quod posse sufficientis auxilii est) etiam ut modo dicere cœpit, in gratia posuit, nec Augustinum subministrationem virium, quæ solum constituerent posse (quod pertinet ad sufficientis auxilium) posuisse contra Pelagium, sed subministrationem virtutis, et Spiritus, ut de facto operemur, quia non solum Deus docet ut venire possimus, sed ut de facto veniamus ad Christum. Et ita ut ipse Augustinus dicit eodem libro, c. XLVII, tota difficultas cum Pelagio non erat circa posse, quod est sufficientis auxilii, sed circa agere: « Si consenserit, inquit, nobis non solum possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat, sed ipsam quoque voluntatem, et actionem, id est, ut bene velimus, et bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando vult, et bene agit, si, ut dixi, consenserit etiam istam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, nihil de adjutorio gratiæ Dei controversiæ relinquetur. »

XLVIII. Ex his solvuntur loca quæ supra Suarez attulit ex Augustino

ad probandum non agnovisse Pelagium veram gratiam internam excitantem: nam ad id quod dicit de Massiliensibus ex libro de prædestinatione sanctorum, c. 1, ipsos discessisse a Pelagio in hoc quod gratiam excitantem agnoscebant, non Pelagius, respondetur Massilienses, ut constat ex eodem Augustino et ex epistolis Prosperi, et Hilarii ad ipsum, dicebant voluntates nostras præveniri a gratia divina ad bona opera, non tamen ad initia bonorum operum, id est, ad desideria, ad fidem, ad orationem, etc. qua petimus a Deo gratiam, distinguentes inter initia operandi, et ipsum operari. Quando autem dicebant nos præveniri gratia Dei, non quidem ad illa initia, seu ad credendum, sed ad bene operandum, illam gratiam prævenientem, seu excitantem fatebantur Massilienses eo modo, qui in Ecclesia Dei asseritur, et ipse Augustinus docebat, scilicet illam quæ non solum illustrat intellectum, sed etiam Spiritum ministrat voluntati. Pelagius autem non agnoscebat gratiam prævenientem, seu excitantem, quæ reluctanti voluntati studium virtutis immitteret, et per subministrationem Spiritus voluntati imprimeretur non solum ad credendum, sed nec etiam ad bene operandum.

XLIX. Ad alium locum ex libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. XIX, ubi dicit Augustinus Pelagium non dixisse hominem excitari Dei gratia in bonum, sicut in malum diaboli suggestionibus incitatur, respondetur verum esse quod negabant discipuli Pelagii (quorum sunt illa verba, quæ ibi refert Augustinus) voluntatem excitari in bonum a Dei gratia, seu potius, ut ibi dicit Augustinus in excitanda voluntate nihil dicebant gratiam Dei operari, quia videlicet negabant Deum subministrare Spiritum vo-

luntati, et ei adhuc reluctanti studium virtutis immittere, et hoc in eis impugnat Augustinus, licet non negaret Pelagius per revelationem, et illustrationem interiorem (quod pertinet ad cogitationem mentis) stupentem voluntatem suscitari in desiderium Dei, ut alio loco Pelagius dixerat, et ex Augustini libro de gratia Christi, c. X retulimus. Itaque vult Augustinus quod sicut incitationem diaboli, quæ sola suggestionem fieri potest, et propositionem extrinsecam fatebantur, ita excitationem Dei faterentur, quæ per subministrationem Spiritus intra voluntatem operatur.

L. Nec Pelagius, cum dixit suscitari voluntatem stupentem in desiderium Dei, loquebatur solum de desiderio simplici, et inefficaci, sed etiam de illo, quod ordinatur ad consensum, quia ad hoc stupentis voluntatis suscitationem ponebat, ut operaretur voluntas id quod sanctum est, et vellet quod sanctum est, ut eo loco, scilicet libro de gratia Christi, c. X refert Augustinus, operari autem, et velle quod sanctum est, consensum importat, et liberum velle efficax, non solum simplex, et inefficax desiderium.

### ARTICULUS III.

*Quid Pelagius de simultaneo concursu dixerit, et de sufficienti auxilio, quid item aliqui ejus discipuli?*

I. Licet confundi sæpe soleat nomen divini concursus, et auxilii, stricte tamen, et in rigore loquendo, concursus magis significat simultaneum influxum simul cum causa in effectum, auxilium vero significat influxum in ipsam causam, quatenus forsitan vires ei præbentur, vel quæ sunt in ipsa conservantur, et

roborantur, vel motio aliqua, seu applicatio ad operandum imprimatur. Unde simultaneus concursus, non tam efficax quam efficiens dici potest, nec datur ad præparandam causam inferiorem, aut ejus defectum tollendum, et infirmitatem adjuvandam, sed cum præparata causa, et operante simul influit in actum, vel in effectum, propter dependentiam ipsiusmet actus, aut effectus in ratione ejus creati a Dei influxu, sine quo nulla entitas stare potest. Et ideo concursus simultaneus generalis dicitur propter generalitatem, et transcendentiam ipsius entitatis creatæ, quæ generaliter loquendo dependet ab influxu Dei, et ita cum ipse actus causæ creatæ, et voluntatis nostræ, et effectus ex operatione causatus sint entitates creatæ, necessario ab influxu Dei dependent, et concomitantur cum, ipsa causa creata influente, debet influere Deus. Quare non pertinet ad hunc concursum simultaneum perficere, vel applicare causam inferiorem, sanare, aut roborare voluntatem nostram, aut ex nolente facere volentem, et duritiam ejus tollere, vel impedimenta ad operandum, sed omnia ista supponit, et cum operante seu influente causa secunda influit etiam Deus, non tam propter ipsam causam inferiorem, quam propter ipsius effectus dependentiam in esse suo a Deo, sicut cum duo trahunt lapidem non alter alteri præstat vires, aut præparationem, sed uterque simul facit effectum. De hoc ergo quærimus an negaverit illum Pelagius, negando omnem gratiam Dei, præsertim in initio hæresis suæ, an vero solum negaverit gratiam, quæ ipsi causæ necessaria est propter ipsam sanandam, perficiendam, aut applicandam ad agendum, non vero dependentiam effectus a Deo negaverit.

II. Circa hoc punctum non desunt qui sentiant Pelagium etiam hunc concursum simultaneum negasse, imo sub nomine gratiæ etiam illum comprehendisse, eo quod gratis a Deo datur, et per singulos actus necessarius est, ut ex Bellarmino, et Abulensi refert p. Suarez prolegom. v de grat. c. iv, ipseque id reputat probabile n. ix, in fine, licet absolute non definiat. Et ratio hujus est, tum ex generali negatione gratiæ quam posuit Pelagius, etiam respectu actionum mere naturalium; tum ex assertione Augustini contra ipsum ponentis influxum Dei communem actibus bonis, et malis, quod utique esse non potest nisi loquendo de concursu simultaneo, et generali Dei. Antecedens certum est, et clare deducitur ex verbis Hieronymi in epistola ad Ctesiphontem, et in libro primo adversus Pelagianos, ubi introducit ipsum negantem omne auxilium, seu influxum Dei, etiam ad minimos actus: « Si voluero, inquit, curvare digitum, movere manum, ambulare, stare, sedere, scribere, sputa jacere, etc. semper mihi auxilium Dei necessarium erit. » Quod utique auxilium non aliud poterat esse quam simultaneus concursus, ad has enim actiones alia gratia præparans, et antecedens non requiritur. Quod si prædeterminatio, vel applicatio Dei requiritur, illa non erit specialis gratia, quia non minus generalis est, quam simultaneus concursus, nec minus pro omnibus causis secundis requiritur propter earum dependentiam a Deo in operando, sicut aliorum effectuum in essendo, ergo ejusdem rationis est negasse Pelagium hanc applicationem præviam, atque negasse concursum simultaneum.

III. Præterea apud ipsum Hieronymum libro primo contra Pelagianos, cum objiceretur Pelagio, sive

illi qui ibi personam Pelagii agit, non ita esse datum nobis liberum arbitrium, ut per singula opera Dei tollatur adminiculum, respondet ex parte Pelagii, quod: « Non tollitur Dei adjutorium, cum creaturæ in semel dati liberi arbitrii gratia conserventur. » Ubi solum agnoscit pro gratia, seu auxilio divino potentiam liberi arbitrii semel nobis datam, non autem concursum simultaneum, et generalem nobis dari, qui ad singulos actus necessarius est; sed alludit ad illam sententiam quam autem sensit Origenes, ut refert S. Thomas III contra gent. c. LXXXIX, quod Deus solum operatur cum libero arbitrio, quatenus dat illi virtutem volendi, non quatenus movet ad volendum, et idem multo post docuisse videtur Durandus, qui sensit actiones nostras non esse immediate a Deo, sed mediate, quatenus semel dedit causis secundis virtutem operandi.

IV. Denique, Pelagius illum influxum Dei negavit, qui bonis, malisque actibus est communis, et hunc contra ipsum statuit Augustinus. Hic autem influxus non est aliud quam simultaneus influxus, aut si etiam requiritur prædeterminatio applicans, et movens, illa æque generalis ad omnes causas, et actus, sicut concursus simultaneus, ita ut qui eam negaverit in sententia Thomistarum, etiam concursum generalem negare debet: ergo sine dubio illum Pelagius negavit. Major constat, tum ex D. Hieronymo in libro primo contra Pelagianos, ubi ex persona Pelagii dicitur: « Si absque Deo, et nisi ille per singula me juverit, nihil possum agere; nec pro bonis me operibus juste coronabit, neque affliget pro malis, sed in utroque suum vel recipiet, vel damnabit auxilium. » Ergo aperte fateatur se loqui de auxilio, seu influxu bonis, malisque communi, qui sine

dubio est concursus simultaneus, et generalis. Tum quia in libro de gratia Christi, c. III et VI et aliis, refert Augustinus Pelagium solam possibilitatem, seu potentiam dixisse adjuvari in nobis a Deo, non voluntatem ipsam, et actionem; ad hanc autem datur concursus simultaneus: ergo hunc tollebat Pelagius. Tum denique quia Augustinus non solum actiones bonas morales vult esse a Deo, sed etiam actiones naturales, imo et materiales actus peccatorum, ad quorum entitates Deum agere in cordibus hominum docet in libro de gratia et libero arbitrio, c. XXI, et de operibus infidelium idem affirmat, libro IV, contra Julianum, c. III, circa finem, et idem de operationibus, bonisque naturalibus docet, ibidem circa principium, cap. et epistola cxxx, idem docet de naturali opere temperantiæ in quodam adolescente. Hæc autem omnia non sunt a Deo, nisi ratione generalis, et simultanei concursus: ad ea enim quæ naturalia sunt non concurrat Deus præbendo vires, sed virtutem supponendo, nec ad entitatem peccati excitat, aut aliter concurrat, quam dando generalem concursum.

V. Pro resolutione adverto quod in concursu simultaneo duo considerantur. Primum, ejus generalitas; nam concursus simultaneus habet reperiri in omni operatione, seu effectu tam naturali, quam supernaturali. Secundum est influentia in actionem, et non in causam, per quod distinguitur a præmio, seu præmovente, et præparante ipsam causam, sive ista præparatio fiat dando vires, sive dando applicationem, et motionem ipsi causæ. Si loquamur præcise de generalitate hujus concursus prout extenditur tam ad opera supernaturalia, quam ad naturalia, tam ad ea quæ virtuose fiunt, quam quæ mere naturalia

sunt, nec restringitur ad solam gratiam, et specialem influentiam, sic non multum cum Pelagio in hac parte certatum est a patribus, qui solum volebant statuere contra ipsum jam gratiam, qua Christiani sumus, non id solum quod ad gratiam creationis spectat, licet aliquod boni naturalis, et politice, aut civilis virtutis quis faciat. Unde Augustinus epistola xcv, loquens contra Pelagium: « Illam, inquit, confiteatur apertissime gratiam, quam doctrina christiana demonstrat, et prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua solvatur natura, non auribus sonante doctrina, vel aliquo adjumento visibili, sicut plantatur quodammodo, et irrigatur extrinsecus, sed subministratione Spiritus, et occulta misericordia, sicut facit ille qui incrementum dat Deus: et si enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debeamus, alia tamen est, quam prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur. » De hac gratia quæstio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat, atque turbabat, dicebatur ei quod eam suis disputationibus oppugnaret. Erat ergo difficultas, et controversia cum Pelagio, non de gratia ita generali, prout etiam beneficium creationis, et naturalis opera complectitur, sed de gratia qua Christiani sumus, et quæ est propria Christianorum. De concursu autem, aut auxilio Dei ad opera mere naturalia, et ad actiones quibus sæculi creaturæ conservantur, aut ad civiles virtutes spectant, non ita curatum est, licet illas etiam Augustinus ad divinam referat operationem, et ad beneficium ejus, quod etiam largo modo dicitur gra-

tia, quia beneficium est Dei. Unde in libro de gratia et libero arbitrio c. xx, inquit: « Scriptura sacra, si diligenter inspiciatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas in æternam dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam ita esse Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. » Et c. XXI: « Satis, quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro misericordia sua, sive ad mala pro meritis eorum, etc. »

VI. Quare non est dubium, quod Augustinus multis locis, etiam respectu actionum naturalium, auxilium, seu influxum Dei dari fatetur, et hoc etiam esse beneficium ipsius, et ita intellexit Augustinum D. Thomas in II, dist. XXVIII, qu. I, art. III, et apud ipsum constantissimum est quod ex Deo interius in voluntate operante pendent omnes motus, etiam naturales, et qui fiunt sine gratia, sed virtute naturæ, ut constat, tum citato loco, art. I et ad III, tum Joan. XV, lect. I, ad illa verba: *Sine me nihil potestis facere*, tum I p. q. CV, art. VI, et I-2, q. IX, art. IV, et q. CIX, art. I. Sed hoc non erat præcipuum in quo cum Pelagio certabatur a patribus, qui gratiam qua Christiani sumus, et ad vitam dirigimur æternam, volebant ut confiteretur. Certum tamen est quod Pelagius saltem in initio suæ hæresis, etiam ad opera mere naturalia negavit adiutorium Dei requiri, quod est negare generalem influxum Dei (qui non solum simultaneum concursum, sed etiam prævium includit) ut constat ex S. Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, et libro primo adversus Pelagianos, ut supra retulimus.

Cæterum, loquendo de simultaneo concursu, prout distinguitur a prævio, id est, a quocumque alio auxilio influente in ipsam causam, eamque præparante, aut movente ad operandum, et non solum de ejus generalitate prout distinguitur a speciali, sic existimo Pelagium non negasse talem concursum, sed solum auxilium illud quod influit in ipsam causam, eamque præparat, aut movet ad volendum, et ex nolente volentem facit. Et hoc quidem certum mihi est ita sensisse Pelagium, aut ejus sectatores, saltem post impugnationes catholicorum, et magis explicatam suam hæresim, licet ab initio forsitan non ita distinxerint de hoc concursu simultaneo, postea tamen illum evidenter miserunt.

VII. Ducor ad hoc primo, quia sic ipsi explicarunt se admittere gratiam, scilicet quæ adjuvaret opus, influendo cum voluntate, non quæ voluntatem inclinaret aut ex nolente redderet volentem et studium virtutis immitteret. Constat hoc ex Augustino libro primo contra duas epistolas Pelagianorum c. XIX, ubi de ipsis Pelagianis dicit: « Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem Dei gratia, ut in excitanda ejus ad ipsum bona voluntate, nihil eam credatis operari. Quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti, in bono opere a Dei gratia semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur, pro meritis videlicet bonæ voluntatis, etc. » Itaque voluntatem non præveniri, aut præparari, seu excitari per operationem gratiæ ponebant, (licet excitationem media doctrina, et propositione intel-

lectus non negarent) sed quod voluntas in se perfecta, et bona et sana aggrediebatur bonum opus, et in ipso opere adjuvabatur a Deo. Influxus autem Dei in opus, seu in actionem, et non in causam ipsam est concursus simultaneus, qui influit simul cum causa in actionem, et effectum, non ipsam causam præparat, et prævenit. Ergo concursum simultaneum fatebantur Pelagiani, qui est influxus in operationem. Et de hoc optime dicit S. Augustinus, quod datur pro meritis voluntatis bonæ, quia eam supponit: concursus enim simultaneus supponit causam in eo statu et dispositione qua possit influere in operationem, non eam perficit, aut præparat; et ita cum sit in actu influendi in bonum opus supponit illam bonam esse, et juxta illius dispositionem se accommodat, et hoc modo dicitur pro meritis dari.

VIII. Ducor secundo, quia Augustinus in enchiridio, c. XXXII, contra eosdem Pelagianos, sic dicit: « Si propterea dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utraque fit, id est, ex voluntate hominis, et misericordia Dei, ut sic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, tamquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis; ac per hoc si recte dictum, est non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, etiam e contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet. Porro si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea dictum

intelligatur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, et præparat ad juvandam et adjuvat præparatam. » Ecce quomodo Pelagius non refugiebat concedere simultaneum concursum, scilicet quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, et misericordia Dei. Ipsa autem voluntas non præparari indigebat a gratia, sed in se, et ex se bona, et præparata supponebatur, dummodo adesset concursus Dei, non in ipsam voluntatem, qui eam præpararet, sed in ipsam actionem, et effectum cum voluntate. Hi autem est simultaneus concursus, non in ipsam causam, sed in ipsum effectum, et actionem cum causa.

IX. Ducor tertio, quia licet verum sit Pelagianos non admisisse cooperantem gratiam, quæ supponeret operantem, qua prævenitur, et præparatur voluntas, ut bene velit, tamen quod influeret Deus simul cum ipsa voluntate non præparata, et præventa a gratia, nullo modo negaverunt, et hoc modo admittebant concursum simultaneum, et cooperantem, scilicet qui esset cum voluntate non præparata per gratiam operantem, sed ex se habente unde influeret cum Deo in bonum opus. Hoc enim est quod ex ipsis toties refert Augustinus, scilicet non negare eos quod gratia adjuvat unius cujusque bonum propositum, non tamen reluctanti voluntati studium virtutis immittere; quod est præparare voluntatem, ut reluctans non sit, atque adeo apta, et accommodata reddatur ad operandum, et volendum. Sic enim eorum verba refert Augustinus in libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum c. V et VI: « Hæc, inquit, verba sunt vestra: Baptisma omnibus necessarium esse ætatibus confitemur, gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum